Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

ista incipiente commissa sunt ante carnem. nec morte preveniente post carnem.
Hoc itaque medium ex quo anima missa est in carnem. quousque solve-
retur a carne. quo parvuli anima nec liberi arbitrii gessit etatem.
non invenit unde damnaretur. nisi percepto baptismo non originale peccatum.
Ex hoc peccato iuste damnari animam non negamus. quia peccato sup-
plicium lex iusta constituit. Sed ad hoc peccatum subeundum cur damp-
nata sit querimus. si non ex illa una trahitur que in humani generis
primo patre peccavit. Quam ob rem si deus non damnat innocentes. nec facit
nocentes. quos perspicit innocentes. et si animas non liberat. sive ab origi-
nalibus sive propriis peccatis nisi in ecclesia Christi baptismus Christi. et si anime
ante carnem nullum habuerunt omnino peccatum. et si peccata ante quam
committantur. et multo magis que numquam commissa sunt damnari iusta
lege non possunt. nihil horum quatuor iste dicat. Et si potest explicet
parvulorum animę que sine baptismo exeuntes in damnationem mit-
tuntur. quo merito in carnem peccatricem. que nihil peccaverant misse
sunt. ut illic invenirent peccatum propter quod merito damnarentur. Porro
si quatuor ista devitans que sana doctrina condempnat. id est si non
audens dicere vel sine ullo peccato existentes a deo fieri animas pecca-
trices. aut sine Christi sacramento in eis solvi originale peccatum. aut eas
alicubi peccasse ante quam mitterentur in carnem. aut ea que numquam
habuerunt in eis peccata damnari. si hec nolens dicere. quoniam non
sunt utique dicenda. dixerit parvulos non habere originale
peccatum. nec habere unde damnentur. sine accepto sacramento rege-
nerationis hinc exeant. in heresim pelagianam sine dubitatione
damnabilem damnandus incurrit. quod ei ne contingat quanto me-
lius tenet de origine anime cunctationem meam. ne audeat
affirmare quod nec humana ratione comprehendit. nec divina
auctoritate defendit. ne cogatur insipientiam proferri. dum non vult
ignorantiam confiteri. Hic forte dicat sententiam suam divina
auctoritate defendi. quoniam sanctarum scripturarum testimoniis
probare se existimat animas a deo non ex propagine fieri. sed